



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Interpres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Duabus anchoris nixus. Ivisibiles in anath.

rus duabus innixum anchoris dicit, qui duas habet patrias: unde proverbium, οὐκοῦν οὐκ ἀδύνατον, Domus autem domum, de commode peregrinantibus: quippe de iis, qui atrepto itinere quotidie apud amicos aut necessarios divertunt. Nam pro firmitate Pindarus idem una etiam utitur anchora. Isthmii, ἡδὴ περὶ τὴν ἀλυσὶν βάλλατ' ἀγκυρῶν, Jam anchoram ad felicitatem jecit: hoc est, firmitatem jam ad vitæ tranquillitatem assecutus est. Vita porro nostræ tumultus, perturbationes, cladesque omnes, marinis fluctibus, tempestatibus, vorticosisque æstibus solemus æquiparare, quemadmodum Archilochus facit, qui cum in Thracenles calamitates incidisset, bellum marinis fluctibus ita comparavit:

Γλαυχ' ὄρε, βαθὺς γὰρ ἦδη
κύμασι τερφόμεται πόντος,
Ἀμφὶ δὲ ἀκρογυρεῖον ὄπηξ'
Ἰαίεται νόστος σώμα χιμαίων,
Κιχάνει δὲ ἐξ ἀελπίης φέβος.

Myrsilus quoque Mitylenæorum infortunia tyrannicasque procellas ita describit:

Τὸ δ' εὖ σε κύμα τῷ περὶ πῆρ' νόμῳ σίχεται,
Παρέξει δὲ ἄμμι πόντος πολὺ ἀντίλω.

Græci ἄγκυραν φασί. Sacram anchoram quod ajunt.

Atque iis urgentibus infortuniis ad sacram, ut ajunt, anchoram confugiendum. Sapientes enim fere omnes hieroglyphico utuntur anchoræ, tam scribendo quam loquendo: ut Pythagoras, quem Phocion ait super humana vita ita differere solitum, ὅτι χρηρὸν βίον αἰεὶ εὐδαιμονίᾳ ἀείρειν, quæ si primum amaritudine aliqua prædita videatur, suavem ipsam redditura sit consuetudo. Divitiæ si optentur, sciendum eas infirmam admodum esse anchoram. Gloriam, etiamnum infirmiore. Quæ corporis sunt, ejusdem esse tenoris. Principatus, honores, omnia hæc imbecilla, & nullo robore suffulta. Quæ firmæ igitur anchoræ? prudentia, magnanimitas, fortitudo, quas nulla procella discutiat. Nam divina lex est, virtutem solam atque unicam habere robur, reliqua omnia nugæ esse.

INTERPRES. CAP. XVI.

Anchora Indis pro caduceo.

Apud nationes aliquot anchora fuit interpretationis signum, quo scilicet caduceatores, & inter-nuncii pro gestamine uterentur. Præcipue vero Indi anchoram pro caduceo habuere: propterea inquit Philostratus, quod omnia tentet ac perverstiget. Eaque de causa cum Apollonius ad locum, quem Indi sapientes incolabant, appulisset, seque cum comitibus intra stadium cohibuisset, adolescens eum adiit à sapientibus missus qui auream anchoram pro caduceo manu gestabat, perç eum in colloquium adductus est.

FRÆNUM. CAP. XVII.

Ad hæc anchora moderandi compescendique signum est, frænumque indicat, quod quidem ex Pindaro desumitur. Ille enim πυθῶν Oge quæ inscribitur, ἄγκυρα δὲ κρυφαῖα ἀρῶν, frænum Argus navis dixit, ubi interpretes ait, Anchoram ὑπὸ μετὰ φρεσὶ τῶν ἱππέων ἄγκυρα τὴν ἐπὶ χεῖρ' αἰσῶν δίκην χαλινῶν, sumpta ab Equis translatione, quod ea naves compescat fræni instar.

SELEUCI GENUS CAP. XVIII.

Seleuci numi.

Extant Seleuci numi anchora signati, propterea quod is anchora signatum femur habuit ab ipsa origine, filiique & nepotes ejus eodem insigniti modo anchoram in femore veluti notam generis naturalem habuere. Et ut Græci sunt ad signenta promptissimi, fabulam etiam adjiciunt. Laodiceum Antiochi nuptam, Apollinis congressum per quietem pati visam, qui anulum ei quendam veluti concubitus præmium donavit, iusseritque ut mox filio eundem redonaret, futurum eum aliquando felicissimi eventus auspiciam: repertumque prima luce anulum in lecto, cujus signum anchora erat, admirationi fuisse: Seleucumque mox natu grandem, tradito anulo à matre, de origine sua, deque futura felicitate edoctum, cum mortuo jam Alexandro, quem in Persicam militiam secutus fuerat, regnum ipse Orientis occupasset, gemmæ istiusmodi memoriam consecrasset. Nam & cum urbem Antiochiam patris nomine condidisset, campos vicinos urbi Apolloni, uti originis auctori dicavit. Hæc Trogus. Appianus indignum ratus fabulas historis admiscere, rem aliter tradit in Syro: Apollinem quippe Laodicæ per somnium mandasse, ut quem anulum aliquando reperisset, filio statim gestandum